

CAPUT VI.

Quæ Beneficia Penſione gravari queant? & qualiter.

1. Nulla antiquitus diſtinctio quoad hoc punctum inter beneficia facta legitur.
2. Cur poſterioribus ſæculis facta?
3. Aliquando in Gallia canonicum fuit, beneficia curata penſionibus non gravanda; & quomodo ſenſim reſeſſum?
4. De moderatione penſionum ſuper beneficiis Curatis facta à Synodo Tridentina.
5. Clauſula impoſitioni penſionis ſuper Eccleſiis Parochialibus occasione Decreti Tridentini inſeri ſolita ex ſtylo Curie Romanae.
6. Decretum Synodi Tridentinae, uti dicta clauſula, intelliguntur de Ducatis uſualibus.
7. Ut ſatis fiat dicta clauſula debent manere centum ducati ex proventibus certis.
8. Neque comprehenditur domus paſtoralis.
9. Synodus Tridentina intendit per ſuum Decretum conſervare Rectoribus Eccleſiarum Parochialium congruam portionem.
10. Hoc ſenſu Decretum in Gallia quoque receptum.
11. Ut hoc ſervetur, non poteſt imponi penſio niſi remaneant Rectori 300. libra Gallica ſoluta penſione.
12. Pluribus Parliamentorum arreſtis id declaratum.
13. Ediſtum Regum conforme.
14. Quæ ad reſtringendas penſiones beneficiis Parochialibus impoſitas decreta ſunt, merito & in Belgio ſervarentur.
15. Litteræ Gubernatricis Belgii veteres dari Place- tum ſuper penſione impoſita Eccleſiis Parochialibus uno caſu excepto.
16. Præbendæ Theologales & Præceptoriales in Gallia penſione non gravantur, & quare.
17. Idipſum in Hiſpania ſervatur.
18. Ex ſtylo Curie non ſolet anni penſio ſuper Canonici- catu non excedente valore annuum 100. ducatorum.
19. Quid circa hoc judicatum in Gallia?
20. Privilegia indulta Eccleſiis quod penſione gravari nequeant ſunt favorabilia.
21. Beneficia collationis Regie ſine conſenſu Regis Pen- ſione gravari non poſſunt.
22. Beneficiis juſriſpatronatus laici, penſio ſine conſenſu Patronorum imponi nequit.
23. Idem dicendum ſi ſint juſriſpatronatus mixti.
24. Quid ſi præſentatio ſpectet alternatim ad laicum & Eccleſiaſticum.
25. Beneficium juſriſpatronatus Eccleſiaſtici poteſt ſine conſenſu Patroni penſione gravari.



I. Equè in priſtiniſ Canonibus, neque in Decretalibus aliſve Juris Canonici libris legitur determinatum, quæ Beneficia penſionibus onerari poſſint aut non poſſint. Hoc enim dumtaxat reperitur, quod ſubinde Episcopis, aut Paſtoribus, aliſque Clericis, ſive hoſtium futuro à Sedibus ſuis expulſis, aut alia juſta de cauſa Beneficiis ſuis ſervire non valentibus, vel urgenti alia de cauſa penſio aliqua alimentaria ex proventibus aliquid Eccleſiæ vel Beneficii assignaretur; id tamen ſollicitè cavebatur, ne ea penſionis assignatione adeo ipſius Eccleſiæ aut Beneficii proventus exhaurirentur, ut proventus ſufficientes alendis neceſſariis miniſtris non ſuperſeſſent.

II. At cum labentibus ſæculis mirum in modum penſio-

num impoſitio creviſſet, atque indifferenter omnia paſſim Beneficia iis gravarentur, in tantum ut in plerisque vix quidquam ipſis poſſeſſoribus Beneficiorum ſuperſeſſet, indeque contingeret, ut idonei vix invenirentur, qui Beneficiis deſervire vellent, novis hiſce malis & abuſibus, nova remedia adinvenire & adhibere ceptum eſt.

III. Imprimis ſollicitè cautum fuit, ne Beneficia curata penſionibus ita gravarentur, ut Poſſeſſoribus ſufficientis ſuſtentatio vix ſuperſeſſet; atque hinc contingeret curam animarum negligi. Imprimis referunt Pragmatici Galli antiquis Parliamentorum Arreſtis judicatum aliquando fuiſſe, Beneficia Curata penſionibus gravari non poſſe, ſucceſſu tamen temporis eas ſaltem inter Reſignantem & Reſignatarium toleratas fuiſſe: ne alia ipſe Reſignatarius, qui penſioni conſenſit, & mediante promiſſione penſionis Beneficium accepit, perfidia arguatur, quod contra datam fidem vellet Beneficio & integris fructibus gaudere. Unde penſionem promiſſam ſolvere, vel Beneficio cedere tenetur; ut non ſemel judicatum fuiſſe teſtatur Tornetius in collectione Arreſtorum *lit. P. num. 56. & Levetius lit. P. num. 30.* quamvis penſionem Beneficio curato tametiſ auctoritate Pontificis impoſitam continuare non teneatur ſucceſſor in Beneficio, ſi ipſe à Reſignatario titulum non habeat, uti capite præcedenti dictum eſt.

IV. Synodus Tridentina volens occurrere incommodis quæ ſequi contingit dum beneficia curata penſionibus exhauriuntur, ut Beneficio congrua portio non ſuperſit, ſtatuit *ſeſſ. 24. cap. 13. De Reformat.* ut "impoſterum omnes hæ Cathedrales Eccleſiæ quarum redditus ſummam ducatorum mille, & Parochiales, quæ ſummam ducatorum centum, ſecundum verum annuum valorem, non excedunt, nullis penſionibus, aut reſervationibus fructuum graventur.

V. Poſt hoc Decretum inolevit ſtylus Curie Romanae ut in Signatura penſionis ſuper beneficiis Parochialibus apponatur clauſula, *Dummodo ex fructibus dicta Eccleſia centum ducati liberi pro illius Rectore pro tempore exiſtente annuatim remaneant.*

Hanc clauſulam proviſionem facere conditionatam; in tantum ut ipſe Penſionarius ſive Reſignans debeat probare, quod deducta penſione maneat centum ducati pro Rectore ſepius in Rota reſolutum fuiſſe teſtatur Pyrrus Corradus in Praxi beneficiaria *lib. 5. cap. 1. num. 30.* illudque procedere, etiam ſi agatur contra illum, qui conſenſit reſervationi: quia ejus conſenſus cenſetur cum eadem conditione præſtitus. Vide quoque Chokier ad Regulam Cancellariæ *De Conſenſu in Reſignatione. & Penſion. præſtando num. 51.*

VI. Prædicti autem Ducati intelligendi ſunt juxta conſuetudinem cuiusque Regionis, ſive ſemper clauſula illa intelligitur de centum ducatis uſualibus & monetæ ac valoris Regionis ſeu Provinciæ, in qua eſt assignata penſio; ſive in qua eſt ſitum Beneficium Parochiale penſione gravatum, uti non ſemel declaratum eſt à S. Congregatione referunt Pyrrus Corradus loco citato *numero 34.* & ſequentibus.

VII. Dicitur in clauſula, *dummodo centum ducati LIBERI remaneant*: quo ſignificatur, quod debeant eſſe ex fructibus certis, non autem incertis, uti notat Corradus ibidem *numero 35.*

Centum ducatenim, qui Rectori reſervari debent, ſapiunt naturam alimentorum, quæ non patiuntur dilationem, cum nemo vivat ex vento, ait Corradus ibidem: qui dein ſubjungit: "Et ſic, incerta non computantur in congruam portionem; quod venter non debet pendere ab incerto. Nam iſta congrua debetur Parochis, ne aliis intenti ad quærendum ſibi victum, deſerant curam animarum; vel aliis ipſi ob nimiam egeſtatem in illa exercenda committant, quæ non deberent committere: ſive etiam, ne ob prædictam egeſtatem ſint ludibrio ipſis Parochianis,

quos

quos debent coercere, & à quibus revereri. " Hæc ille; at de imputatione in portionem congruam infra latius.

VIII. Notat quoque ibidem *num. 38.* aliquando deciſum fuiſſe, quod ubi adeſt hæc clauſula, *dummodo* &c. ad augendos fructus Parochialis Eccleſiæ, non eſſe habendam rationem domus Eccleſiæ Parochialis pro Parocho, in qua ipſe reſidet: prout in ſimili ſunt in eadem deciſione comprobatum, quod "pro congrua Episcopis, cui in hoc æquiparatur Rector, tam S. Congregatione, quam Rota cenſuit assignare (Concilium Tridentinum) mille abſque computatione Palatii Reſidentia.

IX. Ex dictis ſat manifeſtum eſt, hæc Concilii Tridentini ordinationem de non gravandis Eccleſiis Parochialibus onere penſionis, quæ ſummam ducatorum centum, ſecundum verum annuum valorem non excedunt, præcipue eo ſine editam eſſe, ut Rectoribus Eccleſiarum Parochialium, detracta penſione, ſemper ſuperſeſſet congrua portio, ſive competens Paſtoralis: quod & juri communi conſonum eſt. Nam & jure communi inſpecto, oportet, ut detracta penſione ſuperſint redditus ſufficientes ad ſuſtentationem Rectoris, uti poſt Abbatem notat Fagnanus ad *Cap. NISI ESSENT. De Prob. num. 26.*

X. Licet ergo teſte Tornetio in ſua Collectione Arreſtorum *lit. P. num. 87.* hæc clauſula litteris penſionis apponi ſolita, *Dummodo centum ducati liberi maneat*, non ſit recepta in Gallia, nihilominus ſollicitè ibidem cautum eſt, ut penſiones ita ſint moderatæ, ut iis ſolutis, congrua portio Rectoribus ſuperſit.

XI. Cum autem in Gallia ſoleat portio congrua ſive competens Parochorum & Vicariorum Parochialium Eccleſiarum taxari ad trecentas libras Gallicas, quæ conſiſtunt centum patacones noſtrate; ſi que detractis omnibus accidentibus (quæ ſub vocabulo *Casuel*, id eſt, *Casuali* comprehendunt) & domo Paſtorali, ideò & ipſas penſiones Beneficiis Parochialibus non aliter imponi ſunt, niſi ipſi Rectori dictæ centum libræ ultra *caſuale* remaneant *libera*.

XII. Anno 1664. die 16. Junii judicatum in Parlamento Pariſienſi, Canonicos non poſſe reſignare Beneficia curata retentâ penſione, niſi prius decem annis deſervierint illis beneficiis: quo caſu nec penſio tertiam partem fructuum excedere poterit; additâ dein & hæc clauſula: *Et même qu'elle ne p. urra mener jusques au tiers à moins qu'il ne reſte au Titulaire trois cent livres outre le caſuel.* Id eſt: Quin & penſio adæquari non poterit tertie parti fructuum niſi Titulari ſuperſeſſent trecentæ libræ ultra caſualia.

Rurſus anno 1666. die 20. Julii judicatum fuit in Concilio Statuſ, non aliter admittendas eſſe penſiones ſuper beneficiis Curatis Diœceſis Aleſtensis, niſi eâ conditione: *P. urveu toutes fois qu'il reſte aux Titulaires la ſomme de trois cent franche & quinte de toutes charges* Id eſt: Si modo Titularibus reſtet ſumma trecentarum librarum, libera & omni onere Exempta.

XIII. Hæc & plura hiſce conformia Parliamentorum arreſta referuntur in Actis Cleri Gallicani *como 2. parte 2. tit. 13. ubi & art. 16.* referunt Ediſtum Ludovici XIV. moderni Regis Gallia, ubi generaliter declaratur, penſiones ſuper beneficiis Curatis non eſſe admittendas, niſi cum hac conditione: *Le tout ſans diminution ny retranche- ment de la ſomme de trois cent livres qui demeurera aux Titulaires pour leur ſubſiſtance par chacun an franche & quitte de toutes charges, ſans comprendre le caſuel & le creux de l' Eglise, qui appartient aux Curez, comme les distributions manuelles aux Chanoines.* Id eſt: Idque ſine imminutione aut reſtictione ſummæ trecentarum librarum, quæ annuatim Titularium ſuſtentationi libera & ab omni onere immunitis deputabitur, non comprehenſis caſualibus, & adventitiis Eccleſiæ oblationibus, quæ Parochis cedent perinde ac manuales diſtributiones Canonicis.

XIV. Alia plura ad reſtringendas penſiones ſuper beneficiis Curatis tunc per Parliamentorum arreſta, tum Regia Ediſta in Gallia decreta ſunt, uti in ſequentibus videbitur: quæ licet hic in Belgio vim juris non habeant, neque hæcenus cum illo rigore ſerventur, nihilominus non minus in Belgio, quam in Gallia hoc ſollicitè providendum, ut quantum fieri poteſt, proventus Rectoribus Eccleſiarum Parochialium integri ſerventur; nec facile transferri permittantur ad illos, qui nullum Parochiis officium impendunt; aut ut minus portio congrua Titularibus relinquatur: ne aliâ defectu congruæ portionis cura animarum negligatur, aliâque incommoda, quæ ex defectu congruæ portionis ſequi conſueverunt, oriatur.

XV. Quam odioſa jam pridem in Belgio reputatæ fuerint penſiones beneficiis Curatis impoſitæ, probant litteræ Margaritæ Parmenſis Belgii Gubernatricis de 27. Auguſti 1563. & 2. Septembris ejuſdem anni publicatæ in Concilio Brabantia, quibus, "vetuit dari placetum pro penſionibus reſervatis ſuper beneficiis Curatis, excepto caſu quo ob morbum aut ſenium poſſeſſoris ea reſervantur: tametiſ ante in Concilio Brabantia 17. Junii 1544. reſolutum fuiſſet, dandum eſſe placetum ſuper tali penſione, dum non excederet fructuum medietatem." Ita Zypæus in Jure novo tit. *Ut Beneficia ſine diminutione conſerventur numero 4.*

XVI. Obtinentes in Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis Præbendas vulgò *Theologales* tenentur, præſertim in Gallia, non tantum inſtructioni Canonicorum & Clericorum, ſed & prædicationi Verbi Dei vacare; uti ſupra *parte 1. tit. 11. cap. 6.* oſtenſum fuit: ideòque & ſuper his ægrè penſio imponi permittitur; quin & penſe in omnibus Ediſtis Regiſ ſuper hac materia penſionum editis, Præbendæ Theologales cum beneficiis Curatis junguntur: quemadmodum videri poteſt in Actis Cleri Gallicani loco citato: & apud Broudæum in notis ad Lovetium *lit. P. n. 46.* ubi notat, non ſemel judicatum fuiſſe, non permiſi hujusmodi Præbendas penſionibus gravari.

Idipſum obtinere quoad Præbendas præceptoriales monet ibidem, quia & hæ juxta Regia Ediſta requirunt pariter ſervitium *perſonale* inſtruendi pueros. Vide etiam Tornetium *lit. P. num. 73.*

XVII. Nec tantum in Gallia hujusmodi Beneficia à penſionibus exempta conſervantur; ſed & in Hiſpania jam pridem uſitatum eſſe teſtatur Didacus Covarruvias *Præſt. 99. cap. 36. n. 10.* ibidem obſervans, "illud eſſe ſatis expediatum, quod nulla penſionis conſtitutio apud Hiſpanos admittatur in Canonicatibus qui conſerri debent ex veteri inſtituto Magiſtris & Doctoribus. Nec vidi (ait) unquam à ſummo Pontifice penſionem ex his beneficiis conſtitui, niſi cauſâ litis dimendæ, quæ abſque ulla fraude inter electos aut inſtitutos tractabatur.

XVIII. Ex eadem ratione qua Synodus Tridentina voluit ut Eccleſiæ Parochiales, quæ ſummam ducatorum centum, ſecundum annuum valorem non excedunt, nullis penſionibus aut reſervationibus fructuum graventur, jam pridem invaluit, "ut ſi reſignetur Canonicatus aut ſimilis dignitas, non concedatur penſio, niſi redditus ſint ultra centum ducatorum, & pro quantitate, quæ excedit dictam ſummam." Ita Flaminius Pariſius *De Reſignat Benef. lib. 6. queſt. 2. num. 28.* addens: "Et ita mihi retulit Illuſtriſſimus Cardinalis Conſentius Prodatarius, ſibi ordinatum fuiſſe à Sanctiſſimo D. N. Sixto V.

XIX. Similiter arreſto Concilii Statuſ pronuntiatum per formam regulamenti 23. Septembris 1667. declaratae fuerunt penſiones *nullæ*, quæ impoſitæ erant Præbendis Diœceſis Rivenſis, *quæ ne vaudroient pas au moins deux cent livres de revenu pareillement quitte, ſuivant l'eſtimation du revenu deſdits Benef. es qui aura eſté fait par l' Evê. que dans ſes viſites, ou ſur ſon certificat.* Id eſt: Quæ non penderent ducentas libras annuè, deductis pariter oneribus juxta dictorum, Beneficiorum æſtimationem, quæ vel ab Epif.

Epifcopo in Viſitatione facta fuerit, aut ejus teſtimonio confirmata. In Actis Cleri Gallicani loco allegato art. 11.

XX. Dicuntur nonnullæ Eccleſiæ eo jure vel privilegio gaudere, quod earum Beneficia nullis penſionibus gravari queant; atque inter cætera notatur apud Renatum Choppinum lib. 3. De S. Polſia tit. 2. num. 16. in margine: "On tient qu'il y a privilege Apoſtolique particulier, que les benefices des Eglifès d'Auxerre, Tonnerre, Tournay, & de Joinville ne font ſujets à conſtitution de penſion beneficiale, & ne peuvent en eſtre payez."

Cum hæc privilegia tendant ad conſervationem juris communis dictantis, ut Beneficia Eccleſiaſtica ſine diminutione conferantur, ipſaque penſionum impoſitio vel eo titulo odioſa ſit, quod proventus annexi titulis Beneficialibus, ut cedant Titularibus, qui ipſis Beneficiis deſerviunt, abſtrahantur, & cedant nullum officium, quod Beneficium, exigit, præſtantibus, merito hujusmodi privilegia tamquam favorabilia reputanda & conſervanda ſunt.

XXI. Exteris porro noſtros Reges minime cedere in ſacra Republica tuenda, vel illud argumento eſt (ait Choppinus loco citato numero 15.) quod electivis Sacerdotibus imponi nequeat annuæ penſionis onus aliud quod jure noſtro Francico, niſi Rege Patrono adſtillante.

De eodem uſu Regni Galliarum teſtatur Rebuffus tractatu De Pacificis Poſſeſſ. num. 137. alique Pragmatici Galli. Nec in Gallia tantum ſed & in Hiſpania idem obſervatur. Obſervandum enim monet Covarruvias Pract. 99. c. 26. "non admitti apud Hiſpanos conſtitutionem penſionis in his Beneficiis & Dignitatibus quæ pertinent ad jus patronatus Regium, niſi ipſi ſuſmet Regis conſenſu acceſſerit ſummi Pontificis conſeſſioni & penſionis conſtitutioni."

XXII. Ulterius ſicuti nulla reſignatio in favorem vel permutatio beneficii admittitur ſine conſenſu Patroni laici; ita nec penſionem ſine ejus conſenſu ex cauſa reſignationis aut permutationis conſtitui poſſe, obſervat Covarruvias ibidem; & de uſu Regni Galliarum teſtis eſt Torneſius in ſua collectione Atreſtorum Lite. P. num. 79. & 80. ibidem quoque indicans, quibus modis Patronus laicus conſenſum ſuum dare queat. De hoc jure Regni Galliarum paſſim teſtantur omnes Pragmatici; eſtque notoria Belgii noſtri praxi conformis; in nullo permiſſenti juri Patronatus laicorum derogari; aut beneficia juri illi ſubjecta diminui aut gravari ſine eorum conſenſu.

XXIII. Et ſicuti obſervavimus ſupra tit. 15. c. 2. jus patronatus mixtum quoad non derogationem cenſeri laicum, ita quoque eodem jure circa impoſitionem penſionis gaudere dicendum eſt: ut ſcilicet beneficia juris patronatus mixti æque ab impoſitione penſionis citra conſenſum Patronorum ſint exempta, quam beneficia juris patronatus laici.

XXIV. Quin & judicatum eſſe refertur, quod ſi Beneficium ſpectet alternatim ad Patronum Eccleſiaſticum & laicum, ſi vacans in turno Eccleſiaſtici fuerit gravatum penſione, penſio illa extinguitur morte Reſignatarii, ſi vacet in turno laici: eo quod ſine ejus conſenſu Beneficium ad ſuam præſentationem ſpectans gravari non poterit. Tomo 2. Journales des Audiances libro 1. cap. 42.

XXV. Beneficia verò Juris patronatus Eccleſiaſtici, ſicuti poſſunt etiam nonnumquam ſine conſenſu Patroni reſignari & permutari; ita & penſione gravari; quemadmodum jam pridem judicatum eſſe teſtis eſt Torneſius loco citato num. 81. etiamſi Jus patronatus ſua origine laicale fuiſſe, & à laicis in Eccleſiarum tranſlatum eſſe, oſtendatur.

CAPUT VII.

Quæ portio proventuum in penſionem assignari poſſit; & quæ in hanc portionem imputentur?

1. Penſionum quantitas olim limitata non erat, ſecundum hodie: & quare?
2. Ad tertiam partem proventuum reſtricta, qua ratio reſtrictionis.
3. Id olim in omnibus Beneficiis obſinebat.
4. Hodie ex ſtylo Curia Romana admittitur uſque ad medietatem in Beneficiis ſimplicibus.
5. In Gallia penſio ultra tertiam partem vix admittitur.
6. Edictum Regium ſuper hac reſtrictione.
7. Penſio tertiam partem excedens non eſt in totum nulla, ſed reducitur.
8. Succesor per obitum reductionem petere poteſt.
9. Reſignatario, qui penſionem conſenſit, reducitio aliquando in Gallia negata fuit; & quare?
10. Quomodo hodie etiam ipſo Reſignatario ſuperſtite, auctoritate publica reducatur.
11. In Belgio etiam reducitur penſio exceſſiva.
12. Penſio hodie non in portione fructuum; ſed in quantitate conſtituitur; & qua hujus ratio.
13. In tertiam partem Beneficium penſionis obnoxiam non computantur diſtributiones quotidiana.
14. Non ſolet penſio ſuper diſtributionibus conſtitui.
15. Interdum ex gratia datur in Curia Romana, ſed agere in Gallia admittitur.
16. Edicto Regio penſio ſuper diſtributionibus vetita videtur.
17. Penſio nequidem ad tertiam partem admittitur, ſi congrua portio Titulari non remaneat.
18. Ex ſtylo Curie penſio ſimpliciter impoſita non comprehendit diſtributiones.
19. Neque oblationes, & incerta accidentia.
20. Super obventionibus qua requirunt certum ſerviſium penſio non conſtituitur.
21. Penſio etiam pro tertia tantum parte impoſita non ſemper eſt licita.

L X priſtini illis penſionum exemplis, quorum capite 1. meminimus, illud dumtaxat erimus, penſiones limitatas fuiſſe ad ſuſtentionem ſeu alimentionem Penſionarii, ſive id unum factum fuiſſe, ut ſubinde Epifcopis, vel Paſtoribus aliſque Clericis indigentibus ex bonis Eccleſiæ, cui actualiter non deſervebant; nec adſcripti erant, miſerationis intuitu alimenta darentur; eâ tamen moderatione, ut ipſis Eccleſiæ miniſtris neceſſaria non deeſſent.

Verum cum labentibus ſæculis prætextu illo alimentionis, Prælati Eccleſiæ, ut vel ſibi, vel ſuis conſanguineis aut familiaribus faverent, exceſſivis penſionibus ita beneficia, etiâ curata, gravarent, ut vix congrua fructuum portio ipſi Titulari relinqueretur, tandem viſum fuit, certos fixos limites intra quos ipſa quantitas penſionis reſtringeretur.

II. Cum verò æquum juſtumque videretur, ut primò ipſi Titulari onera beneficii ferenti provideretur, antequam alteri de proventibus ipſius beneficii provideretur; quin & juſtum eſſet, ut amplior portio daretur Titulari, qui etiam onera beneficio incumbenda ferre tenetur, tandem ipſa penſionis quantitas ad tertiam partem proventuum annuorum ipſius beneficii reſtricta cepit: ut ita due partes liberæ manerent Titulari, & non niſi tertia penſionis nomine alteri assignari poſſet.

Un.

Unde Caccialupus & ex ipſo Hieronymus Gigas De Penſionibus quaſt. 9. poſtquam notavit, quod ad hoc ut penſio ſit tolerabilis & honeſta, tantum debeat remanere Eccleſiæ, unde Prælati ſeu Rectores illius commodè valeat ſuſtentari, ſubjungit, "quod hinc putet inoleviſſe practicum, quod ut plurimum ſtatuitur penſio uſque ad tertiam partem redituum. Et hinc eſt (ait) quod regulariter Legatis Apoſtolicis datur facultas reſervandi penſiones ſuper fructibus beneficiorum ex cauſa reſignationis uſque ad tertiam partem fructuum."

III. Et notat Flaminius Parisius lib. 6. De Reſignat. Benef. quaſt. 2. num. 24. quod antiquo tempore imponebatur penſio uſque ad tertiam partem redituum in omnibus Beneficiis; & apponebatur clauſula: Dummodo Tertiam partem non excedat.

IV. Verum quidem eſt, paſſim Canoniſtas admittere, Papam poſſe majorem quantitatem imponere; monētque Flaminius Parisius loco citato n. 26. hodie in Beneficiis ſimplicibus de ſtylo dari regulariter penſionem uſque ad medietatem: id eſt, ut medietas fructuum, ſive potius quantitatis pecuniæ, quæ medietatem proventuum conſtituit, in penſionem assignetur.

Similiter Rebuffus in Praxi Benef. titulo De Reſervationibus num. 15. teſtatur, quod interdum reſervatur Media pars fructuum penſionis: quodque (ait num. 15.) & in patria juris ſcripti ſervatur.

V. Deinde num. 17. ſubdens: "Sed in patria conſuetudinaria reformari ſolet, præcipue ſi penſionarius non poſſit vivere, & uſque ad tertiam partem reformari ſolet, quam obtinebit penſionarius tantum: Beneficiarius autem alias duas."

De hoc uſu patriæ conſuetudinariæ ſive Regni Galliarum clarioribus terminis poſt Rebuffum teſtatur Auctor Analyſis ad Regulam Cancellariæ De publicandis reſignationibus num. 212. "Non toleratur in hoc Regno (Galliarum) fructibus omnes, ſed nec dimidiam vel auctore Papâ reſervari: ſed tertiam dumtaxat, ut Regiſ Conſtitutionibus & ſummorum tribunalium arreſtis cautum eſt, etiamſi permutationis cauſa ad tenuitatem compermutantis ſupplendam id fiat."

VI. Id omnino conforme recentioribus tum Parlamen-torum arreſtis, tum Regiſ Edictis; ac ſignanter Edicto Regio de anno 1671. quo expreſſe cavetur, quod penſiones ſuper beneficiis curatis, vel præbendis per Reſignantes reſervatæ excedere nequeant tertiam partem fructuum. Hoc edictum rursus renovatum fuit anno 1674. declaratumque, mentem Regis eſſe, ut id obtineat in omnibus Beneficiis Eccleſiarum Cathedralium & Collegiarum, quæ reſidentiam requirunt, quocumque nomine appellentur.

VII. Verum ſi penſio dictam tertiam partem excedat, non tamen ob id reſcinditur permutatio, vel reſignatio (ait Auctor Analyſis loco citato) ſed immoderata penſio ad congruum modum trahitur ad minus, vel etiam ad minorem, ſi qualitas beneficii exigat, etiam per poteſtatem ſecularem reducitur. Teſtaturque Broudeus in notis ad Lovetium Litt. P. num. 38. eſſe Regulam & principium certum, quod penſio, qua legitimum modum excedit, nulla non eſt, ſed reducibilis.

VIII. Illud expeditum eſt, ſucceſſorem in beneficium poſſe petere reductionem penſionis, etiam à Papa impoſitæ ad vitam ipſius Reſignantis; ſi modo ſucceſſerit in beneficium vacans per obitum reſignatarii; qui conſequenter nihil promiſit Reſignanti, nec jus habet à deſuncto, ſed à Collatore, ut loquuntur Pragmatici Galli. Torneſius in ſua collectione arreſtorum Litt. P. num. 69. & Broudeus loco citato.

IX. At verò Reſignatario, qui penſionem conſenſerat, atque mediante promiſſione hujusmodi penſionis beneficium obtinuit, reductionem penſionis tamen excedentis tertiam partem haud annuendam judicabant; huncque fuiſſe Curiarum Regiarum uſum teſtantur, propter fidem da-

Van Eſſen Jur. Eccl. P. II.

tam; & ne ex proprio dolo, vel perfidia Reſignatarius lucrum conſequeretur. Receptumque erat hujusmodi Reſignatarius de penſionis exceſſu conquerentem condemnare ad hanc alternativam: ſolvat vel cedat. Vide latius Torneſium & Broudeum locis ſupra indicatis: ubi una inquirunt, quid ſentendum de Reſignatario Reſignatarii, an ille à reductione penſionis in quam hic conſenſit ſubmoveri debeat.

X. Et hæc quidem videtur communis fuiſſe praxiſ Galliarum uſque ad Edictum Regium anni 1671. quod jubet ob publicum Eccleſiæ bonum, ut cunctæ, etiam quæ præceſſerunt de penſionibus beneficiariis conventiones ad tertiam fructuum portionem reducantur. Verba Edicti ſunt: "Et quant aux penſions qui ſe trouveront avoir eſté cy deſignées ſur les cures & ſur les Chanonies & præbendes des Eglifès Cathedrales, ou Collegiales en faveur de reſignations, Nous voulons & ordonnons qu'elle ſoient reduites au tiers ſans diminution des dires trois cens livres, amſi qu'il eſt exprimé cy deſſus: non obſtant tout Traitez & Concordats pour cauſe de procez, reſignations, permutations, demandes en gregez, fautes de payement des dites Penſions, & tous cautionnements, & des quelles nous avons dechargé & dechargons les obligez."

Id eſt: Et quoad penſiones gravatæ fuerint Paſtoratus, Canoniciatus, Eccleſiarum Cathedralium aut Collegiarum Præbendæ, in favorem reſignationum: volumus & ſtatimus ut redigantur ad tertiam partem abſque imminutione dictarum trecentarum librarum, prout ſuperius eſt expreſſum: non obſtantibus quibuscumque pactis, aut conventionibus ad pacificandas lites, reſignationibus, permutationibus, petitionibus ad reſreſſum, ſolutarum Penſionum defectibus, omnibusque cautionibus, à quibus exoneravimus & exoneramus obſtrictos.

Ad hanc declarationem reſpectens Cabballutius lib. 2. cap. 16. num. 2. rationem ejus assignat: "Ut ſcilicet prævaleat ſacra & communis diſciplina oppoſitis privatorum, noxiſque pactationibus: niſi quis inſiſtat id officium à Legislatore injungi ſolis Judicibus & publicis Requiſitoribus, ſed non Reſignatariis, illo adhuc ſuperſtite, cui obſtricta eſt fides."

XI. Sanè Judices Regii, quibus Litteras ſive Bullas provisionum à Curia Romana emanantes placetandi auctoritas eſt, ſolent ad inſtantiam Procuratoris Regii ſive Fideiſcalis ipſas penſiones exceſſivas ad moderatam quantitatem reducere: quod & in Belgio nonnumquam præſtat.

Unde cum quidam reſignaret Præbendam Inſulſenſem ſub penſione 957. florenorum, placetum tenuit Concilium Privatum, eo quod penſio, habito reſpectu ad proventus dictæ præbendæ, quæ tantum communiter aſcendunt ad duo millia florenorum, eſſet exceſſiva: qua propter reduci voluit penſionem ad 700. florenos qua reductione mediante annuit Placetum 16. Septembris anno 1641.

Hinc quoque colligitur, hinc in Belgio ægre admitti penſionem tertiam partem fructuum excedentem.

XII. Circa hanc portionem in penſionem assignandam, notandum, hodie hanc reſervari in quantitate pecuniæ, non in quota fructuum parte: uti notat Garcias De beneficiis parte 1. cap. 5. num. 362. ſed ratio hujus praxeos quam poſt alios Cenoniſtas allegat Garcias, ſcilicet, quod aliàs beneficium ſcinderetur, ut frivola merito ab Auctore Analyſis ad Regulam De Public. reſig. n. 214. rejicitur "quia non minus ſecantur vel minuuntur Beneficia per quantitatem, quam quotam, & lex eſſet impoſita vernis, & fraus, imò contortio manifeſta Canonum."

Cæterum convenientius eſt, ut in certa quantitate pecuniæ, quam quota fructuum conſtituatur, ut tollatur occaſio diſcordiarum, quæ ex communiione fructuum inter Rectorem & Penſionarium oriri poſſent, uti notat Emanuel Gonzales in commentario ad Cap. 21. De Præbendis n. 7.

PPP

XIII. Ad.